



A. CORNELII CELSI  
DE RE MEDICA  
LIBER PRIMUS.

---

ARGUMENTUM.

PRÆFATIO in qua Medicina ortus, progressus, incrementa, sectæ variae, & operis partitio. CAP. I. Quemadmodum sanos agere conveniat. SECT. I. Quæ bene valentibus servanda sint. SECT. II. Quæ imbecillis. SECT. III. Quas observationes desiderant novæ res. SECT. IV. Quas locorum mutationes. SECT. V. Quæ nam famem patientibus observanda, que nimium satiatis. SECT. VI. Quæ vivendi ratio debeat esse opus facientium. SECT. VII. Quæ labore fatigatorum. SECT. VIII. Quæ navigantium. SECT. IX. Quæ eorum qui toto die sederunt. SECT. X. Quæ lavantium. SECT. XI. Quas observationes requirant corporum genera, quæ res corpus ex-

A

A. C O R N . C E L S I

pleant, quæ extenuent. Inter extenuantia vomitus est & dejectio. Quæ corpus calefaciant. Quæ refrigerent. Quæ madefaciant. Quæ siccent. Quæ alvum adstringant. Quæ solvant. SECT. XII. Quas observationes sexus desiderent. Desideratur ea pars. SECT. XIII. Quas etates varie, SECT. XIV. Quas varia anni tempora. CAP. II. De morbis eorumque curationibus. SECT. I. Quæ esse debeat vita capite laborantium. SECT. II. Quæ lippitudine, gravedine, destillatione tonsillisque laborantium. SECT. III. Quæ eorum quos cito alvus exerceat. SECT. IV. Quæ eorum quibus colum dolet. SECT. V. Quæ eorum quibus dolet stomachus. SECT. VI. Quæ eorum quibus dolent nervi. SECT. VII. Observatio in pestilentia.

---

---

P R A E F A T I O.

UT ALIMENTA sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem ægris Medicina promittit. Hæc quidem nusquam non est; siquidem etiam imperitissimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque, noverunt. Verum tamen apud Græcos aliquantò magis quam in cæteris nationibꝫ, exculta est: ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos seculis; ut pote quin vetustissimus auctor Æsculapius celebretur: qui, quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est. Hujus deinde duo filii, Podalirius & Machaon, bello Troiano ducem Agamemnonem secuti, non medioctem

Opem commilitonibus suis attulerunt : quos tamen Homêrus non in pestilentia , neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii , sed vulneribus tantùm modò , ferro & medicamentis , mederi solitos esse proposuit. Ex quo apparet , has partes medicinæ solas ab his esse tentatas , easque esse vetustissimas. Eodem quoque auctore discipotest , morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos esse ; & ab iisdem opem posci solitam : verique simile est , inter non multa auxilia adversæ valetudinis , plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores , quos neque desidia neque luxuria vitiarant : siquidem hæc duo corpora prius in Græcia , deinde apud nos , afflixerunt. Ideoque multiplex ista medicina , neque olim apud Græcos neque apud alias gentes necessaria , vix aliquot ex bonis ad senectutis principia perducit.

Ergo etiam post eos de quibus retuli , nonnulli clari Viri medicinam exercuerunt , donec majore studio literarum disciplina agitari cœpit ; quæ ut animo præcipue omnium necessaria , sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiæ pars habebatur , ut & morborum curatio , & rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit : scilicet his hanc maximè requirentibus , qui corporum sanorum robora inquietâ cogitatione nocturnâque vigiliâ minuerant. Ideoque multos ex sapientiæ professoribus perfitos ejus fuisse accepimus : clarissimos verò ex his Pythagoram , & Empedoclem , & Democritum. Hujus autem , ut quidam crediderunt , discipulus Hip-

A ij

pocrates Cous : primus quidem ex omnibus memoriā dignis ab studio sapientiae disciplinam hanc separavit : vir & arte & facundiā insignis. Post quem Diocles Carystius , deinde Praxagoras & Chrysippus , tum Herophilus & Erasistratus , sic artem hanc exercuerunt , ut etiam in diversas curandi vias processerint.

Iisdem temporib⁹ in tres partes medicina diducta est ; ut una esset quæ *Vitru*, altera quæ *Medicamentis*, tertia quæ *Manu mederetur*. Primam διαντητικὴν , secundam ερμηνευτικὴν , tertiam χειρουργικὴν Græci nominaverunt. Ejus autem quæ vietu morbos curat , longè clarissimi Auctores etiam altius quædam agitare conati , rerum quoque naturæ sibi cognitionem vindicaverunt , tamquam sine ea truncæ & debilis medicina esset. Post quos Serapion primus omnium , nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus , in usu tantum & experimentis eam posuit. Quem Apollonius & Glaucias , & aliquantè post Heraclides Tarentinus , & alii quoque non mediocres viri seuti , ex ipsa professione ea Εὐτελίας appellaverunt. Sic in duas partes ea quoque quæ vietu curat , medicina divisa est : aliis rationalem artem , aliis usum tantum sibi vindicantibus : nullo verò quicquam post eos qui supra comprehensi sunt , agitante , nisi quod acceperat : donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit : ex cuius successoribus Themison nuper ipsē quoque quædam in senectute deflexit. Et per hos quidem maximè viros salutaris ista nobis professio increvit.

LIBER I. PRÆFATI.

5

Quoniam autem ex tribus medicinæ partibus, ut difficillima, sic etiam clarissima est ea quæ morbis medetur, ante omnia de hac dicendum est. Et quia prima in ea dissensio est, quod alii sibi experimentorum tantum modò notitiam necessariam esse contendunt; alii, nisi corporum rerumque naturalium ratione compertâ, non satis potentem usum esse proponunt; indicandum est, quæ maximè ex utraque parte dicantur, quo facilius nostra quoque opinio interponi possit.

Igitur hi qui rationalem medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt; abditarum & morbos continentium cauſarum notitiam, deinde evidentium, post hæc etiam naturalium actionum, novissimè partium interiorum.

ABDITAS cauſas vocant in quibus requiritur, ex quibus principiis nostra corpora sint, quid secundam quid adversam valetudinem faciat. Neque enim credunt posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret; neque esse dubium quin aliâ curatione opus sit, si ex quattuor principiis vel superans aliquid vel deficiens adversam valetudinem creat, ut quidam ex sapientiæ professoribus dixerunt; aliâ, si in humidis omne vitium est, ut Herophilo visum est; aliâ, si in spiritu, ut Hippocrati; aliâ, si sanguis in eas venas quæ spiritui accommodatae sunt, transfunditur, & inflammationem quam Græci Φλεγμονὴ nominant, excitat, eaque inflammatione talem motum efficit qualis in febre est, ut Erasistrato placuit; aliâ, si manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo iter clau-

A iii

dunt , ut Asclepiades contendit : eum verò rectè curaturum , quem prima origo caussæ non fecelerit. Neque verò inficiantur experimenta quoque esse necessaria ; sed ne ad hæc quidem adiutum fieri potuisse , nisi ab aliqua ratione contendunt : non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcasse , sed cogitasse quid maximè conveniret ; & id usu explorasse , ad quod ante conjectura aliqua duxisset : neque interesse an initio pleraque explorata sint , si a consilio tamen cœperunt ; & id quidem in multis ita se habere : sæpe verò etiam nova incidere genera morborum , in quibus nihil adhuc usus ostenderit ; ut ideo necessarium sit animadvertere , unde ea cœperint ; ceu sine quo nemo mortalium reperire possit cur hoc quā illo potius utatur. Et ob hæc quidem in obscuro positas caussas persequuntur.

EVIDENTES verò has appellant , in quibus quæ runt , initium morbi calor attulerit an satias & quæ similia sunt : occursum enim citius ducunt eum qui originem non ignorarit.

NATURALES verò corporis actiones appellant , per quas spiritum trahimus & emittimus , cibum potionemque assumimus & concoquimus ; itemque per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam , quare venæ nostræ modò submittant se se , modò attollant : quæ ratio somni , quæ vigiliæ sit : sine quorum notitia neminem putant vel occurrere , vel mederi morbis inter hæc nascentibus , posse. Ex quibus quia quā maximè pertinere ad rem concoctionem videtur , huic potissimum insistunt , & duce alij

Erasistrato, atteri cibum in ventre contendunt; alii, Plistonico Praxagoræ discipulo, putrescere: alii credunt Hippocrati per calorēm cibos concoqui: occiduntque Asclepiadis æmuli, qui omnia ista yana & supervacua esse proponunt: nihil enim concoqui, sed crudam materiam, sicut assumta est, in corpus omne diduci. Et hæc quidem inter eos parum constant: illud verò convenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc; alium, si illud verum est: nam si teritur intus, eum quærendum esse qui facillimè terti possit; si putrescit, eum in quo hoc expeditissimum est: si calor concoquit, eum qui maximè calorem foveat: at nihil ex his esse quærendum, si nihil concoquuntur; ea verò sumenda quæ maximè manent, qualia assumta sunt. Eademque ratione, quum spiritus gravis est, quum somnus aut vigilia urget, cum mederi posse arbitrantur, qui priùs illa ipsa, qualiter eveniant, præceperit.

Præter hæc, quum in interioribus partibus, & dolores & morborum varia genera nascantur, neminem putant his adhibere posse remedia quæ ipse ignoret. Necessarium ergo esse incidere corpora mortuorum, eorumque viscera atque intestina scrutari: longèque optimè fecisse Herophilum & Erasistratum, qui nocentes homines a Regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, considerarintque, etiamnum spiritu remanente, ea quæ Natura antè clausisset, eorumque posituram, colorēm, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, molitiem, levorem, contractum; processus deinde singulorum & recessus, sive quid insc-

A iv

ritur alteri , sive quid partem alterius in se recipit : neque enim , quum dolor intus insidit , scire quid doleat eum , qui , qua parte quodque viscus intestinumve sit , non cognoverit : neque curari id quod ægrum est posse ab eo , qui , quid sit , ignoret : & , quum per vulnus aliquujus viscerata patefacta sunt , eum qui sanæ cujusque colorrem partis ignoret , nescire , quid integrum , quid corruptum sit : ita nec succurrere quidem posse corruptis ; aptiusque extrinsecus imponi remedia , compertis interiorum & sedibus & figuris , cognitâque eorum magnitudine : similesque omnia quæ proposita sunt , rationes habêre : neque esse crudèle , sicut plerique proponunt , hominum nocentium , & horum quoque paucorum , suppliciis remedia populis innocentibus seculorum omnium quæri.

Contra hi qui se ἐμπειρίκες ab experientiâ nominant , evidentes quidem caussas ut necessarias amplectuntur : obscurarum verò caussarum & naturalium actionum quæstionem ideo supervacuam esse contendunt , quoniam incomprehensibilis Natura sit. Non posse verò comprehendî , patêre ex eorum qui de his disputarunt discordiâ ; quum de ista re , neque inter sapientiæ professores , neque inter ipsos medicos , conveniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat , quam Herophilo ? cur huic potius , quam Asclepiadi ? Si rationes sequi velis , omnium posse videri non improbabiles ; si curationes , ab omnibus his ægros productos esse ad sanitatem. Itaque neque disputationi , neque auctoritati cuiusquam fidem derogari

## LIBER I. PRÆFATIO.

oportuisse : etiam sapientiæ studiosos maximos medicos esse , si ratiocinatio hoc faceret ; nunc illis verba superesse , deesse medendi scientiam.

Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ ; & aliud opus esse Romæ , aliud in Ægypto , aliud in Gallia. Quòd si morbos hæ cauſſæ facerent , quæ ubique eadem effent , remedia quoque ubique eadem esse debuiffse : sæpe etiam cauſſas apparere , ut puta lippitudinis , vulneris ; neque ex his patere medicinam. Quòd si scientiam hanc non subjiciat evidens cauſſa , multò minus eam posse subjicere quæ in dubio est. Quum igitur illa incerta incomprehensibilisque sit , a certis potiùs & exploratis petendum esse præsidium ; id est , his quæ experientia in ipsis curationibus docuerit , sicut in cæteris omnibus artibus : nam ne agricolam quidem aut gubernatorrem disputatione , sed usu fieri. Ac nihil istas cogitationes ad medicinam pertinèrē , eo quoque disci , quòd , qui diversa de his senserint , ad eamdem tamen sanitatem homines perduxerint : id enim fecisse , quia non ab obscuris cauſſis , neque a naturalibus actionibus quæ apud eos diversæ erant ; sed ab experimentis , pro ut cuique responderant , medendi vias traxerint.

Ne inter initia quidem ab istis quæſtionibus deduētam esse medicinam , sed ab experimentis : ægrorum enim qui sine medicis erant , alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumsisse , alios propter fastidium abstinuisse ; levatumque magis eorum morbum fuisse qui abstinuerant. Itemque alios in ipsa febre aliquid

A. v.

edisse , alios paullò ante eam , alios post remissionem ejus ; optimè deinde his cessisse qui post finem febris id fecerant : eademque ratione alios inter principia protinus usos esse cibo pleniore , alios exiguo ; gravioresque eos factos qui se implerant . Hæc similiaque quum quotidie incidenter , diligentes homines notasse , quæ plerumque melius respondérent : deinde ægrotantibus ea præcipere coepisse . Sic medicinam ortam , subinde aliorum salute , aliorum interitu , perniciosa discernentem a salutaribus . Repertis deinde jam medicinæ remediis , homines de rationibus eorum disserere coepisse : nec post rationem medicinam esse inventam ; sed post inventam medicinam rationem esse quæsitam .

Requirere etiam , si ratio idem doceat quod experientia , an aliud : si idem , supervacuan esse ; si aliud , etiam contrariam . Primo tamen remedia exploranda suminâ curâ fuisse , nunc vero illa explorata esse : neque ulla aut nova genera morborum reperiri , aut novam desiderari medicinam . Quod si jam incidat mali genus aliquod ignotum , non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris ; sed eum protinus visurum , cui morbo id proximum sit ; tentaturumque remedia similia illis , quæ vicino malo sàpè succurrerint ; & per ejus similitudinem opem reperturum . Neque enim se dicere consilio medicum non egere , & irrationalib[us] animal hanc artem posse præstare ; sed has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere , quia non intersit , quid morbum faciat , sed quid tollat ; neque ad rem pertineat ,

quomodo , sed quid optimè digeratur ; sive hac de caussâ concoctio intercidat , sive de illa ; & sive concoctio sit illa , sive tantum digestio . Neque quærendum esse quomodo spiremus ; sed quid gravem tardumque spiritum expediat ; neque quid venas moveat , sed quid quæque motus genera significant . Hæc autem cognosci experimentis ; & in omnibus ejus modi cogitationibus , in utramque partem differi posse : itaque ingenium & facundiam vincere ; morbos autem non eloquentia , sed remediis , curari . Quæ si quis elinguis usu discreta bene nōrit , hunc aliquantò majorem medicum futurum , quam si sine usu linguam suam excoluerit .

Atque ea quidem de quibus est dictum , super vacua esse tantum modo : id verò quod restat , etiam crudele , vivorum hominum alvum atque præcordia incidi , & salutis humanæ præsidem artem , non solùm pestem alicui , sed hanc etiam atrocissimam inferre : quum præsertim ex his quæ tantâ violentiâ quærantur , alia non possint omnino cognosci , alia possint etiam sine scelere . Nam colorem , levorem , mollitem , duritiem , similiaque omnia non esse talia , inciso corpore , qualia integro fuerint : quia quum , corporibus inviolatis , hæc tamen meru , dolore , inediâ , cruditate , lassitudine & mille aliis mediocribus affectibus , sape mutentur ; multò magis veri simile est interiora , quibus major mollities & lux ipsa nova sit , sub gravissimis vulneribus & ipsâ scrutatione mutari . Neque quicquam esse stultius , quam quale quidque vivo homine est , tale

A vij

existimare esse moriente , immo jam mortuo. Nam ne uterum quidem , quo minus ad rem pertineat , spirante homine , posse diduci : simul atque verò ferrum ad præcordia accessit , & discissum transversum septum est , quod membranā quadam superiores partes ab inferioribus diducit ) *σιδεραγχητα* Græci vocant ) hominem protinus animam amittere : itaque demum mortui præcordia & viscus omne in conspectum lancingantis medici dari ; quod necesse sit tale esse quale mortui sit , non quale vivi fuit. Itaque consequi medicum , ut hominem crudeliter jugulet ; non ut sciat qualia vivi viscera habeamus. Si quid tamen sit quod , adhuc spirante homine , conspectui subjiciatur , id sæpè casum offerre curantibus. Interdum enim gladiatorem in arena , vel militem in acie , vel viatorem a latronibus exceptum , sic vulnerari , ut ejus interior aliqua pars aperiatur , & in alio alia ; atque ita sedem , positum , ordinem , figuram , similiaque cognoscere prudentem medicum , non cædem , sed sanitatem molientem ; idque per misericordiam discere , quod alii dirâ crudelitate cognoverint. Ob hæc , ne mortuorum quidem laerationem necessariam esse : quæ etsi non crudelis , tamen foeda sit , quum alter pleraque in mortuis se habeant : quantum verò in vivis cognosci potest , ipsa curatio ostendat.

Quum hæc per multa volumina , perque magnæ contentionis disputationes a medicis sæpe tractata sint atque tractentur ; subjiciendum est , quæ proxima vero videri possint : ea neque addicta alterutri opinioni sunt , neque ab utraque

nimium abhorrentia, sed media quodam modo inter diversas sententias: quod in plurimis contentionibus deprehendere licet sine ambitione verum scrutantibus, perinde ut in hac ipsa re.

Nam quæ demum caußæ vel secundam valitudinem præstent, vel morbos excitent; quo modo vel detrahatur spiritus vel cibus digeratur, ne sapientiæ quidem professores scientiâ comprehendunt, sed conjecturâ perseguuntur. Cujus autem rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest: verumque est ad ipsam curationem nihil plus conferre, quam experientiam. Quamquam igitur multa sint ad ipsas artes propriè non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium: itaque ista quoque Naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. Profectò veri simile est & Hippocratem & Erasistratum, & quicunque alii non contenti febres & ulceræ agitare, rerum quoque Naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque majores medicos extitisse. Ratione vero opus est ipsi medicinæ, & si non semper inter obscuras caußas, neque inter naturales actiones, tamen sëpe. Est enim hæc ars conjecturalis: neque respondet ei plerumque non solùm conjectura, sed etiam experientia: & interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur, sicut assuevit.

Rariū, sed aliquando tamen, morbus quoque ipse novus est: quem non incidere manifestè falsum est; quum ætate nostrâ quædam, ex natu-

ralibus partibus carne prolapsâ & arente , intra paucas horas expiraverit , sic ut nobilissimi medici neque genus mali , neque remedium invenerint . Quos ego ideo nihil tentasse judico , quia nemo in splendida personâ periclitari conjecturâ suâ voluerit ; ne occidisse , nisi servasset , videretur . Veri tamen simile est potuisse aliquid excogitari , detractâ tali verecundiâ ; & fortasse responsorum fuisse id quod aliquis esset expertus . Ad quod medicinæ genus , neque semper similitudo aliquid confert ; & si quando confert , tamen id ipsum rationabile est inter multa similia genera & morborum & remediorum , cogitare , quo potissimum medicamento sit utendum . Quum igitur talis res accidit , medicus aliquid oportet inveniat , quod non ubique fortasse , sed sapientius tamen etiam respondeat . Petet autem novum quoque consilium , non ab rebus latentibus , istæ enim dubiæ & incertæ sunt , sed ab his quæ explorari possunt ; id est , evidenteribus caussis . Interest enim , fatigatio morbum an vigilia , an sitis an fames , an frigus an calor fecerit , an cibi vinique abundancia , an intemperantia libidinis .

Neque ignorare hunc oportet , quæ sit ægræ natura : humidum magis an magis siccum corpus ejus sit , validi nervi an infirmi , frequens adversa valetudo an rara , cæque , quum est , vehementis esse soleat an levis ; brevis an longa : quod is vitæ genus sit secutus ; laboriosum an quietum , cum luxu an cum frugalitate : ex his enim similibusque , sæpe curandi nova ratio ducenda est . Quamvis ne hæc quidem sic præ-

LIBER I. PRÆFATIO.

tiri debent, quasi nullam controversiam recipient; nam & Erasistratus non ex his fieri morbos dixit; quoniam & alii & iidem aliis post ista non febricitarint.

Et quidam Methodici seculi nostri, sub auctore, ut ipsi videri volunt, Themisone, contendunt, nullius caussæ notitiam quicquam ad curationes pertinere: satisque esse quædam communia morborum intueri: & quidem horum tria genera esse, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mistum. Nam modò parum excernere ægros, modò nimium; modò aliâ parte parum, aliâ nimium: hæc autem genera morborum modò acuta esse, modò longa; & modò increscere, modò consistere, modò minui consueuisse.

Cognito igitur eo quod ex his est, si corpus adstrictum est, digerendum esse; si profluvio laborat, continendum; si mistum vitium habet, occurrentum subinde vehementiori malo. Et aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis; aliter incresentibus, aliter subsistentibus, aliter jam ad sanitatem inclinantibus. Horum observationem medicinam esse: quam ita finiunt, ut quasi viam quamdam, quam πέρισσοι Græci nominant, eorumque quæ in morbis communia sunt, contemplatricem esse contendant. Ac neque Rationabilis se, neque experimenta tantum spectantibus annumerari volunt: quum ab illis eo nomine dissentiant, quod in conjectura rerum latentium nolunt esse medicinam; ab his eo quod parum artis esse in observatione experimentorum credunt.

Quod ad Erasistratum pertinet, primum ipsa

evidentia ejus opinioni repugnat ; quia raro nisi post horum aliquid morbus venit : deinde non sequitur , ut quod alium non afficit , aut eundem alias , id ne alteri quidem , aut eidem tempore alio noceat . Possunt enim quædam subesse corpori , vel ex infirmitate ejus , vel ex aliquo affectu , quæ vel in alio non sunt , vel in hoc alias non fuerunt , cæque per se non tanta , ut concident morbum ; tamen obnoxium magis aliis injuriis corpus efficiant . Quod si contemplationem rerum naturæ , quam non temerè medici sibi vindicant , satis comprehendisset ; etiam illud scisset , nihil omnino ob unam caussam fieri , sed id pro caussa apprehendi , quod contulisse plurimum videtur . Poteſt autem id , dum ſolum eſt , non movere , quod junctum aliis maximè moveret . Accedit ad hæc quod ne ipſe quidem Erasistratus , qui , transfuso in arterias ſanguine , febrem fieri dicit ; idque nimis repleto corpore incidere , reperit cur ex duobus æquè repletis alter in morbum inciderit , alter omni periculo vacarit , quod quotidie fieri apparet . Ex quo diſci potest , ut vera sit illa transſuſio , tamen illam non per ſe , quum plenum corpus eſt , fieri ; ſed quum horum aliquid acceſſerit .

Themisonis verò æmuli , ſi perpetua quæ promittunt , habent , magis etiam quam illi Rationalis ſunt . Neque enim , ſi quis non omnia tenet , quæ Rationalis aliis probat , protinus alio novo nomine artis indiget ; ſi modò quod primum eſt , non memoriae ſoli , ſed rationi quoque inſiſtit . Sin , quod vero propius eſt , vix ultra per-

petua præcepta medicinalis ars recipit, iidem sunt quod ii, quos experimenta sola sustinent; eo magis quoniam, si compresserit aliquem morbus aut fuderit, quilibet etiam imperitissimus videt: quid autem compressum corpus resolvat, quid solutum teneat, si a ratione tractum est, Rationalis est medicus: sin, ut ei qui se Rationalem negat, confiteri necesse est, ab experientia, Empiricus est. Ita apud eum morbi cognitio extra artem, medicina intra usum est. Neque adjectum quicquam Empirorum professioni, sed deinceps est; quoniam illi multa circumspiciunt, hi tantum facillima, & non plus quam vulgaria. Nam & hi qui pecoribus ac jumentis medentur, quum propria cujusque ex mutis animalibus nosse non possint, communibus tantum modo insistunt: & exteræ gentes, quum subtilem medicinæ rationem non noverint, communia tantum vident: & qui amplè valetudinarios nutrunt, quia singulis summâ curâ consulere non sustinent, ad communia ista configuiunt. Neque hercules istud antiqui medici nescierunt, sed his contenti non fuérunt: ergo etiam vetustissimus auctor Hippocrates, dixit MEDERI oportere & communia & propria intuentem.

Ac ne isti quidem ipsi intra suam professionem consistere ullo modo possunt. Siquidem & compressorum & fluentium morborum genera diversa sunt; faciliusque id in his quæ fluunt, inspici potest. Aliud est enim sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere: aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare: aliud sudore digeri, aliud tabe consumi. Atque in partes quoque humor

erumpit, ut in oculos auresque; quo periculō nullum humanum membrum vacat: nihil autem horum sic ut aliud curatur. Ita protinus in his a communi fluentis morbi contemplatione ad propriam medicinā descendit. Atque in hac quoque cursus alia proprietatis notitia sēpe necessaria est: quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus, opitulantur: siquidem certae quædam res sunt, quæ in pluribus ventrem aut adstringunt aut resolvunt. Inveniuntur tamen in quibus alter atque in cæteris, idem eveniat: in his ergo communium inspectio contraria est, propriorum tantum salutaris. Et caussæ quoque aestimatio sēpe morbum solvit. Ergo etiam ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius, febricitanti cuidam & magnâ siti affecto, quum post ebrietatem eum premi cœpisse cognosceret, aquam frigidam ingessit: qua ille eptâ quum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno & sudore discussit. Quod auxilium medicus opportunè providit non ex eo quod aut adstrictum corpus erat aut fluebat; sed ex eâ caussâ quæ ante præcesserat.

ESTQUE etiam proprium aliud & loci & temporis, istis quoque auctoribus, qui, quum disputant quemadmodum sanis hominibus agendum sit, præcipiunt ut gravibus aut locis aut temporibus magis vitetur frigus, æstus, satietas, labor, libido; magisque ut conquiescat iisdem aut locis aut temporibus, si quis gravitatem corporis sensit; ac neque vomitu stomachum, neque purgatione alvum solliciter. Quæ vera quidem sunt; a com-

munibus tamen ad quædam propria descendunt ; nisi persuadere nobis volunt , sanis quidem considerandum esse , quod cælum , quod tempus anni sit ; ægris vero non esse : quibus tantò magis omnis observatio necessaria est , quantò magis obnoxia offensis infirmitas est . Quinetiam morborum in iisdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates sunt : &c , QUI SECUNDIS aliquando frustra curatus est , contrariis saepe restituitur .

Plurima quoque in dando cibo discrimina reperiuntur : ex quibus contentus uno ero . Nam FAMEM facilius fert adolescens quam puer ; facilius in tenui cælo quam in denso ; facilius æstate quam hieme ; facilius uno cibo quam prandio quoque assuetus ; facilius inexercitatus quam exercitatus homo : saepe autem in eo magis necessaria cibi festinatio est , qui minus inediam tolerat . Ob quæ competit , cum qui propria non novit , communia tantum intueri debere ; cumque qui nosse propria potest , illa quidem non oportere negligere , sed his quoque insistere : ideoque , quum pars scientia sit , utiliorem tamen medicum esse amicum quam extraneum .

Igitur , ut ad propositum meum redeam , rationalem quidem medicinam esse debere ; instrui vero ab evidenteribus caussis , obscuris omnibus non a cogitatione artificis , sed ab ipsa arte , rejectis . Incidere autem vivorum corpora & crudelè , & supervacuum est ; mortuorum vero , discentibus necessarium : nam positum & ordinem nosse debent , quæ cadaver melius quam vivus & vulneratus homo , representant : sed & cetera

quæ cognosci in vivis modò possunt, in ipsis curationibus vulneratorum paullò tardius, sed aliquanto mitius usus ipse monstrabit.

His propositis, primum dicam, quemadmodum Sanos agere conveniat, tum ad ea transibo quæ ad Morbos & curationes eorum pertinebunt.

### C A P U T P R I M U M.

SECT. I. Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet; ac neque medico neque iatraliptâ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus; modò ruri esse, modò in urbe, sæpiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere; siquidem ignavia corpus hebetat, labor fitmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.

Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modò ungi, modò id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere quo populus utatur; interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere; modò plus justo, modò non amplius assumere; bis die potius quam semel cibum capere; & semper quam plurimum, dum modò hunc concoquas.

Sed ut hujus generis exercitationes cibique necessarii sunt, sic athletici supervacui: nam & intermissus propter alias civiles necessitates ordo exercitationis corpus afflit; & ea corpora quæ more eorum repleta sunt, celerrimè & senescunt & ægrotant.

Concubitus verò neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus corpus excitat, frequens solvit. Quum autem frequens, non numero sit sed naturâ, ratione ætatis & corporis. Scire licet eum non inutilem esse, quem corporis neque languor neque dolor sequitur. Idem interdiu pejor, tutior noctu: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigiliâ labor statim sequitur.

Hæc firmis servanda sunt, CAVENDUMQUE ne in secundâ valetudine adversæ præsidia consumantur.

SECT. II. At imbecillis stomacho quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pæne cupidi literatum sunt, observatio major necessaria est; ut, quod vel corporis vel loci vel studii ratio detrahit, cura restituat.

Ex his igitur qui bene concoxit, mane tutò surget: qui parum, quiescere debet; &, si mane surgendi necessitas fuerit, redormire: qui non concoxit, ex toto conquiescere; ac neque labori se, neque exercitationi neque negotio, credere. Qui crudum sine præcordiorum dolore ruçtat, is ex intervallo aquam frigidam bibere; & se nihilo minus continere. Habitare verò ædificio lucido, perflatum æstivum, hibernum solem habente; cavere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus; itemque auras fluminum atque stagnorum; MINIMÆQUE, nubilo coelo, soli aperi- rienti se committere; ne modò frigus modò calor noceat: quæ res maximè gravedines destillatio- mesque concitat. Magis verò gravibus locis ista ser-

vanda sunt , in quibus etiam pestilentiam faciunt.

Scire autem licet integrum corpus esse , quum quotidie mane urina alba , dein rufa est : illud concoquere , hoc concoxisse significat. Ubi exercitus est aliquis , paullum intermittere ; deinde , nisi hiems est , fovere os multâ aquâ frigidâ debet : longis diebus meridiari potius ante cibum ; sin minus , post eum. Per hiemem potissimum rotis noctibus conquiescere : sin lucubrandum est , non post cibum id facere , sed post concoctionem.

Quem interdiu vel domestica vel civilia officia tenuerunt , huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Prima autem ejus curatio exercitatio est , Quæ semper antecederet cibum debet , in eo qui minus laboravit & bene concoxit , amplior ; in eo qui fatigatus est , & minus concoxit , remissior. Commodè vero exercent , clara lectio , arma , pila , cursus , ambulatio ; atque hæc non ubique plana commodior est ; siquidem melius ascensus quoque & descensus cum quadam varietate corpus moveat ; nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est sub divo quam in porticu : melior , si caput patitur , in sole quam in umbra : melior in umbra quam parietes aut viridaria efficiunt , quam quæ tecto subest : melior recta quam flexuosa.

Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor , aut certè lassitudo quæ citra fatigationem sit : idque ipsum modò minus , modò magis faciendum est. Ac ne his quidem , athletatum exemplo , certa esse lex vel immodicus esse labor debet. Exercitationem rectè sequitur modò unctio ,

vel in sole vel ad ignem; modò balneum, sed in conclavi quam maximè & alto & lucido & spatiose. Ex his verò neutrū sàpè fieri oportet, sed sàpius alterutrum, pro corporis naturâ. Post hæc paulum conquiescere opus est.

Ubi ad cibum ventum est, **NUMQUAM** utilis est nimia satietas; sàpè inutilis nimia abstinentia: sed, si qua intemperantia subest, tutior est in potionē quam in esca. Cibus a salsamentis, oleribus similibusque rebus melius incipit. Tum caro assumenta est; quæ affa optima aut elixa est. Condita omnia duabus de caussis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinem assumuntur, & quod modò par est, id tamen ægrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet; in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmas pomaquæ & similia melius primo cibo assumit. Post multas potionēs, quæ aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est: post satietatem, nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si quicquid assumit, potionē aquæ frigidæ includit; tum paullisper invigilet, deinde bene dormit. Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque æstui, neque labori, se debet committere: neque enim tam facilè hæc inani corpore quam repleto nocent. Si **QUIBUS** de caussis futura inedia est, labor omnis vitandus est.

**SECT. III.** Atque hæc quidem pñne perpetua sunt: quasdam tamen observationes desiderant, & novæ res, & corporum genera, & sexus, & ætates, & tempora anni.

SECT. IV. Nam neque ex salubri loco in gravem , neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. Ex salubri in gravem primâ hieme ; ex gravi in eum qui salubris est , primâ æstate transire melius est.

SECT. V. Neque verò ex multa fame nimia satietas , neque ex nimia satietate fames idonea est. Periclitatur quoque & qui semel , & qui bis die cibum continenter contra consuetudinem assument. Item neque ex nimio labore subitum otium , neque ex nimio otio subitus labor sine gravi noxā est. Ergo , QUUM Q U I S mutare aliquid volet , paullatim debet assuescere.

SECT. VI. OMNEM etiam laborem faciliùs vel puer vel senex quam insuetus homo sustinet. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est , quia potest incidere laboris necessitas. Si quando tamen insuetus aliquis laboravit , aut multo plus quam solet etiam is qui assuevit , huic jejuno dormendum est : multò magis , si etiam os amarum est , vel oculi caligant , aut venter perturbatur : tum enim non dormiendum tantummodo jejuno est , sed etiam in posterum diem ita permanendum , nisi citò id quies sustulit. Quod si factum est , surgere oportet , & lentè paullulum ambulare. At si somni necessitas non fuit , quia modicè magis aliquis laboravit , tamen ingredi aliquantum eodem modo debet.

Communia deinde omnibus sunt post fatigacionem cibum sumturis , ubi paullum ambulaverunt , si balneum non est , calido loco vel in sole vel ad ignem ungi atque sudare : si est , ante omnia in

in tepidario residere; deinde, ubi paullum con-  
quievérunt, intrare & descendere in solium,  
tum multo oleo ungi leniterque perficari: iterum  
in solium descendere: post hæc os aquâ calidâ  
fovêre, deinde frigidâ. Balneum his fervens  
idoneum non est. Ergo si nimiùm alicui fatigato  
pæne febris est, huic abundè est loco tepido de-  
mittere se inguinibus tenus in aquam calidam,  
cui paullum olei adjectum sit: deinde totum qui-  
dem corpœ, maximè tamen eas partes quæ in  
aqua fuérunt, leniter perficare ex oleo, cui vinum  
& paullum contriti salis sit adjectum.

SECT. VII. Post hæc omnibus fatigatis aptum est  
cibum sumere, eoque humido uti; aquâ, vel certè  
dilutâ potionē esse contentos, maximèque eâ quæ  
moveat urinam. Illud quoque nosse oportet, quod  
ex labore sudanti frigida potio perniciossima est:  
atque etiam, quum sudor se remisit, itinere  
fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus  
Asclepiades inutilē eam judicavit: quod in his  
verum est, quibus alvus facilè nec tutò resolvitur,  
qui faciliè inhorrescunt: perpetuum in  
omnibus non est, quum potius naturale sit po-  
tione astuantem stomachum refrigerari, frigentem  
calefieri. Quod ita præcipio, ut tamen fatear, ne  
ex hac quidem caussa sudanti adhuc frigidam  
bibendum esse.

Solet etiam prodesse, post varium cibum fre-  
quentesque dilutas potionēs, vomitus, & postero  
die longa quies, deinde modica exercitatio. Si  
assidua oscitatio urget, in vicem modò aqua modò  
vinum bibendum est, rarèque balneo utendum.

B

Levat quoque laßitudinem etiam laboris mifatio: cumque quem novum genus cujusdam laboris pressit, id ei quod in consuetudine est, reficit. **FATIGATO** quotidianum cubile tutissimum est, insolitum contra laßat: **QUOD** enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle seu durum est.

Propriè quædam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio: post iter primum sedile, deinde unctio; tum calidâ aquâ in balneo magis superiores partes, quam inferiores foveat.

Si quis verò exustus in sole est, huic in balneum protinus eundum est, profundendumque oleo corpus & caput: deinde in solium bene calidum descendendum est; tum multa aqua per caput infundenda, priùs calida deinde frigida. At ei qui perfixit, opus est in laconico primum involuto sedere donec insudet, tum ungi, deinde lavari: cibum modicum, potionem meracas, assumere.

**SECT. VIII.** Is verò qui navigavit, & nauseatus pressus est, si multam bilem evomuit, vel abstinentiè cibo debet, vel paullum aliquid assumere. Si pituitam acidam effudit, utique sumere cibum, sed assueto leviorem: si sine vomitu nausea fuit, vel abstinentiè, vel post cibum vomere.

**SECT. IX.** Qui verò toto die, vel in vehiculo, vel in spectaculis sedit, huic nihil currendum, sed lentè ambulandum est. Lenta quoque in balneo mora, dein cena exigua prodesse consueverunt.

**SECT. X.** Si quis in balneo astuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum, acetum: si id non est, eodem modo frigida aqua assumat.

SECT. XI. Ante omnia autem nōrit quisque naturam sui corporis, quoniam alii gracie, alii obesi sunt; alii calidi, alii frigidiores; alii humidi, alii sicciores; alios adstricta, alios resoluta alvus exercet. Rarò quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis verò homo implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madefacere: itemque alvum firmare is cui fusa; solvere is cui adstricta est: succurrentumque semper parti maximè laboranti est.

I. Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, &c, si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, somnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumta per cibos & potionem maximè dulcia & pinguia, cibus & frequentior, & quantus plenissimus potest concoqui.

Extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendit; magisque, si salsa est: in jejuno balneum, inurens sol, & omnis calor, cura, vigilia, somnus nimirum vel brevis vel longus: lectus per æstatem terra, hieme durum cubile: cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectione, acidæ res & austerae, & semel die assumtae epulæ, & vini non perfrigidi potio jejuno in consuetudinem adducta.

Quum verò inter extenuantia posuerim vomitum & dejectionem, de his quoque propriè quædam dicenda sunt.

II. Rejectum esse ab Asclepiade vomitum in eo volumine, quod *DE TUENDA SANITATE*

composuit, video: neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur. Paullò etiam longius processit. Idem purgationes quoque eodem volumine expulit: & sunt hæ perniciose, si nimis valentibus medicamentis fiunt: sed hæc tamen submovenda esse non est perpetuum: quia corporum temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum & modo, & non nisi quum opus est, adhibeantur. Ergo ille quoque ipse, si quid jam corruptum esset, expelli debere confessus est: ita non ex toto res condemnanda est. Sed esse ejus etiam plures causæ possunt: estque in ea quædam paullò subtilior observatio adhibenda.

Vomitus utilior est hieme quam æstate: nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major subest. INUTITIS est gracilibus & imbecillius stomachum habentibus: utilis vero est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerint, vel parum concoixerint. Nam, sive quis plus est quam quod concoquere possit, periclitari ne corrumpatur non oportet: sive jam corruptum est, nihil comodius est quam id, quam viam primum expelli potest, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum sunt, ad hunc protinus configendum est.

IDEA PRODEST ei cui pectus æstuat & frequens saliva vel nausea est; aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est: similiterque ei qui vel cœlum vel locum mutat; iisque quibus, si per plures dies non vomuerint, dolor præcordia infestat. Neque ignoro inter hæc præcipi

quietem, quæ non semper contingere potest agendi necessitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxuriæ caussâ fieri non oportere confiteor: interdum valetudinis caussâ rectè fieri experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis qui valere & senescere volet, hoc quotidianum habeat.

Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere; si difficultius, aquæ vel salis vel mellis paullum adiicere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum esse aut radiculam, debet; deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere. Cætera quæ antiqui medici præcepérunt, stomachum omnia infestant. Post vomitum, si stomachus infirmus est, paullum cibi, sed hujus idonei, gustandum; & aquæ frigidæ cyathi tres bibendi sunt. Si autem vomitus fauces exasperavit, qui vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde coenare; si post coenam, postero die lavari, & in balneo sudare. Huic proximus cibus mediocris utilior est: isque esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco, & carne assâ cibisque omnibus quam siccissimis. Qui vomere bis in mense vult, melius consulat, si biduo continuârit, quam si post quintum decimum diem vomuerit; nisi haec mora gravitatem pectori faciet.

III. Dejectio autem a medicamento quoque pertenda est, ubi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflammations, caligines, capitis dolores, aliisque superioris partis mala increscunt. Quid

B iij

enim inter hæc adjuvare possunt quies & inedia, per quas illa maximè eveniunt? Qui dejicere vollet, primum cibis vinisque utatur his quæ hoc præstent: dehinc, si parum illa proficit, aloen sumat. Sed purgationes quoque, ut interdum necessariae sunt, sic, ubi frequentes sunt, periculum afferunt: affluescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, quum omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit.

IV. Calefacit autem unctio, aqua salsa, magisque si calida est; omnia salsa, amara, carnosa; si post cibum est, balneum, vinum austērum. Contra refrigerat in jejunio & balneum & somnus, nisi nimis longus est, & omnia acida; aqua quam frigidissima; oleum, si aqua misceatur.

V. Humidum autem corpus efficit labor minor quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio; post hanc ambulatio & vigilia. Per se quoque ambulatio multa & vehemens, & matutina exercitatio, & non protinus cibus adjectus; ea genera escæ quæ veniunt ex locis frigidis, & pluviis & irriguis. Contra siccac immodica exercitatio, fames, unctio, sine aqua calor, sol modicus, frigida aqua, cibus exercitationi statim subjectus, & is ipse ex siccis & æstuosis veniens.

VI. Alvum adstringit labor, sedile, creta figuralis corpori illita, cibus imminutus, & is ipse semel die assumptus ab eo qui bis solet; exigua potio, neque adhibita, nisi quum cibi quis quantum assumpturus est, cepit: post cibum quies. Contra solvit aucta ambulatio atque esca, motus qui

post cibum est, subinde potionem cibo immista.

Illud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum solvit; itemque comprimit is vomitus qui statim post cibum est; solvit is qui tardè supervenit.

SECT. XII. *Desideratur hic tota Sectio.*

SECT. XIII. Quod ad ætates verò pertinet, INDIAM facillimè sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minimè pueri & senectute confecti. Quo minus fert facilè quisque, eo sèpius debet cibum assumere; MAXIMÉQUE eo eget qui increscit. Calida lavatio & pueris & senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus merarius: neutri ætati, quæ inflationes movent. Juvenum minus quæ assumant, & quomodo currentur, interest. QUIBUS juvenibus fluxit alvus, plerumque in senectute contrahitur: quibus in adolescentiâ fuit adstricta, sèpe in senectute solvitur. MELIOR est autem in juvene fusior, in sene adstrictior.

SECT. XIV. Tempus quoque anni considerare oportet. HIEME plus esse convenit, minus sed merarius bibere; multo pane uti, carne potius elixâ, modicè oleribus; semel die cibum capere, nisi si nimis venter adstrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potionem sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum est, vel calorem moventibus. Venus tum non æquè perniciosa est.

At vere paullum cibo demendum, adjiciendumque potionem; sed dilutius tamen bibendum est;

magis carne utendum, magis oleribus; transiendum paullatim ab elixis ad affas. Venus eo tempore anni tutissima est.

ÆSTATE verò & potionē & cibo eget sæpius corpus; ideo prandere quoque commodum est. Eo tempore aptissima sunt & caro & olis; potio quād dilutissima, ut & sitim tollat, nec corpus incendat; frigida lavatio, caro affa, frigidī cibi vel qui refrigerent. Ut sæpius autem cibo utendum, sic exiguo est.

PER autumnnum verò, propter cœli varietatem, periculum maximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus, neque sub diu nocte dormire, aut certè bene operiri. Cibo verò jam paullo pleniore uti licet, minus sed merarius bibere.

Poma nocere quidam putant, quæ immodicè toto die plerumque sic assumentur, ut ne quid ex densiore cibo remittatur. Ita non hæc, sed CONSUMMATIO omnium nocet: ex quibus in nullo tamen minùs, quād in his noxæ est: sed his uti non sæpius quād alio cibo convenit. Denique aliquid densiori cibo, quum hic accedit, necessarium est demi. Neque æstate verò, neque autumno utilis Venus est: tolerabilior tamen per autumnum: æstate in totum, si fieri potest, abstinentium.



## C A P U T S E C U N D U M.

P R O X I M U M est , ut de his dicam , qui partes aliquas corporis imbecillas habent .

S E C T . I . Cui caput infirmum est , is si bene concoxerit , leniter perficere id mane manibus suis debet ; numquam id , si fieri potest , veste velare , aut ad cutem tondere . Utile quoque lunam vitare , maximèque ante ipsum lunæ solisque concursum ; sed nusquam post cibum progredi . Si cui capilli sunt , eos quotidie peccere , multum ambulare ; sed , si licet , neque sub tecto , neque in sole : ubique autem vitare solis ardorem , maximèque post cibum & vinum : potius ungi quād lavari ; numquam ad flammarum ungi , interdum ad prunam .

Si in balneum venit , sub veste primū paullum in tepidario insudare ; ibi ungi , tum transire in calidarium : ubi sudarit , in solium non descendere , sed multā calidā aquā per caput se totum perfundere , tum tepidā , dein frigidā , diutiusque ē caput quād cæteras partes perfundere ; deinde id aliquamdiu perficere , novissimē detergere & ungere .

Capiti nihil æquè prodest atque aqua frigida . Itaque is cui hoc infirmum est , per aëstatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subjecere . Semper autem , etiam si sine balneo unctus est , neque totum corpus refrigerare sustinet , caput tamen aquā frigidā perfundere : sed quum cæteras partes attingi nolit , demittere id , ne ad cervices

B y

Caput in  
fumum

In balneo

aqua descendat; eamque, ne quid oculis aliisye partibus noceat, defluentem subinde manibus ad hoc regerere.

*Dicitur*

Huic modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat; isque, si jejuniū caput lēditur, assumendus etiam medio die est: si non lēditur, semel potius. Bibere huic assidue vinum dilutum lene quām aquam magis expedit; ut quum caput gravius esse coepit, sit, quō confugiat: eique ex toto neque vinum neque aqua semper utilia sunt: medicamentum utrumque est, quum in vicem asfumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non est, utique post cenam: post quam nec cogitatio quidem ei satis tuta est; maximē tamen vomitus alienus est.

*Lippitudo  
verilli. Lox  
foliae.*

SECT. II. Neque verò his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquæ frigidæ prodest; sed iis etiam quos assidue lippitudines, gravedines, destillationes tonsillæque malè habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum, sed os quoque multā frigidā aquā fovendum est: præcipue omnibus quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est, ubi gravius cœlum Austri reddidérunt. Quumque omnibus inutilis sit post cibum aut contentio aut cogitatio animi; tum his præcipue qui vel capitis vel arteriæ dolores habere consúerunt, vel quoslibet alios oris effectus. Vitari etiam gravedines destillationesque possunt, si quām minimē is qui his opportunus est, aerem vel loca aquasque mutat; si caput in sole protegit, ne incendatur, neve subitum ex repentinō nubilo frigus id moveat; si post concoctionem jejonus ca-

put radit; si post cibum neque legit neque scribit.

SECT. III. Quem verò frequenter cita alvus exer-  
cet, huic opus est pilâ similibusque superiores par-  
 tes exercere; dum jejonus est, ambulare; vitare  
 solis nimium ardorem, continua balnea; ungi  
citra sudorem: non uti cibis variis, minimèque  
 jurulentis, aut leguminibus oleribusve his quæ  
 celeriter descendunt; omnia denique sumere quæ  
 tardè concoquuntur. Venatio durius pisces, &  
 ex domesticis animalibus affa caro maximè juvant.  
 Numquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue  
 quidem aut dulce; sed austèrum & plenius, neque  
 id ipsum perverterit. Si mulso uti volet, id ex de-  
 cocto melle faciendum est. Si frigidæ potiones  
 ventrem ejus non turbant, his utendum potissi-  
 mū est. Si quid offendit in cœna sensit, vomere  
 debet; idque postero quoque die facere: tertio,  
 modici ponderis panem ex vino esse, aut ova fricta  
 ex oleo vel ex defruto similibusque aliis: deinde  
 ad consuetudinem redire. Semper autem post ci-  
 bum conquiescere, ac neque intendere animum,  
 neque ambulatione quamvis leni dimoveri.

SECT. IV. At si laxius intestinum dolere con-  
 suevit, quod ~~κέλευ~~ nominant, quum id nihil  
 nisi genus inflationis sit, id agendum est, ut  
 concoquat aliquis; ut lectione & aliis generibus  
 exerceatur; utatur balneo calido, cibis quoque  
 & potionibus calidis; denique omni modo frigus  
 eviter; item dulcia omnia leguminaque, & quic-  
 quid inflare consuevit.

SECT. V. Si quis verò stomacho laborat, legere  
 clarè debet, post lectioñem ambulare: tum pilâ

B vj

vel armis aliove quo genere, quo superior pars  
movetur, exerceri: non aquam, sed vinum cali-  
dum bibere jejonus: cibum bis die assumere, sic  
tamen ut facilè concoquat: uti yino tenui & au-  
stero, & post cibum frigidis potionibus potius.  
Stomachum autem infirmum indicant pallor, ma-  
cies, præcordiorum dolor, nausea, & nolentium  
vomitus, in jejunio dolor capit is: quæ in quo  
non sunt, is firmi stomachi est. Neque credendum  
utique nostris est, qui, quum in adversâ valetu-  
dine vinum aut frigidam aquam concupierunt,  
deliciarum patrocinium accusationem non meren-  
tis stomachi habent.

*Tardus vomit water*

At, QUI TARDÈ concoquunt, & quorum ideo  
præcordia inflantur, quive propter ardorem ali-  
quem noctu sitire consuerunt, ante quam cop-  
quiescant, duos tresve cyathos per tenuem fistu-  
lam bibant. Prodest etiam adversum tardam con-  
coctionem clarè legere, deinde ambulare, tum  
vel ungi vel lavari; assidue vinum frigidum bibe-  
re; & post cibum, magnam potionem, sed, ut  
supra dixi, per siphonem: deinde omnes potiones  
aquâ frigidâ includere. Cui verò cibus acescit, is  
ante eum bibere aquam egelidam debet, & vo-  
mire: at si cui ex hoc frequens dejectio incidit,  
quoties alvus ei constiterit, frigidâ potione po-  
tissimum utatur.

*Podagra*

SECT. VI. Si cui verò dolere nervi solent, quod  
in podagrâ chiragrâve esse consuevit, huic, quan-  
tum fieri potest, exercendum id est quod affectum  
est, objiciendumque labori & frigori: nisi quum  
dolor increvit, sub quo quies optima est. Venus

ei semper inimica est. Concoctio, sicuti in omnibus corporis affectibus, necessaria est: cruditas enim id maximè lœdit, & quoties poffensum corpus est, vitiosa pars maximè sentit.

Ut concoctio autem omnibus vitiis occurrit, sic rursus aliis frigus, aliis calor: QUE SEQUI quisque pro habitu corporis sui debet. FRIGUS inimicum est seni, tenui, vulneri, præcordiis, intestinis, vesicæ, auribus, coxis, scapulis, naturalibus, ossibus, dentibus, nervis, vulvæ, cerebro. IDEM summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram: ex hoc horrores tremoresque nascuntur. At PRODEST juvenibus & omnibus plenis: erectiorque mens est, & melius concoquitur, ubi frigus quidem est, sed cavetur. AQUA verò frigida infusa, præterquam capiti, etiam stomacho prodest: item articulis doloribusque qui sunt sine ulceribus: item rubicundis nimis hominibus, si dolore vacant.

CALOR autem adjuvat omnia quæ frigus infestat, item lippientes, si nec dolor nec lacrimæ sunt; nervos quoque qui contrahuntur, præcipue ea ulcera quæ ex frigore sunt. Idem corporis colorem bonum facit, urinam movet. Si NIMIUS est, corpus effeminat, nervos emollit, stomachum solvit.

MINIMÈ vero aut frigus aut calor tuta sunt, ubi subita insuētis sunt: nam frigus lateris dolores aliquaque vitia, frigida aqua strumas excitat. Calor concoctionem prohibet, somnum aufert, sudorem digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit.

*Bei juro  
dass Frig  
ani man*

*Am juro  
dass calor*

SECT. VII. Est etiam observatio necessaria , quâ quis in pestilentia utatur adhuc integer , quum tamen securus esse non possit. Tum igitur oportet peregrinari , navigare. Ubi id non licet , gestari , ambulare sub divo ante æstum leniter ; eodemque modo ungī : &c , ut supra comprehensum est , vitare fatigationem , cruditatem , frigus , calorem , libidinem ; multoque magis se continere. Si qua gravitas in corpore est , tum neque mane surgendum , neque pedibus nudis ambulandum est , minimēque post cibum aut balneum : neque jejuno , neque cœnato vomendum est : neque movenda alvus ; atque etiam , si per se mota est , comprimenda est. Abstinendum potius , si plenius corpus est : itemque vitandum balneum , sudor , meridianus somnus , utique si cibus quoque antecessit : qui tamen semel die tunc commodius assumitur ; insuper etiam modicus , ne cruditatem moveat. Alternis diebus in vicem , modò aqua , modò vinum bibendum est. Quibus servatis , ex reliquâ victûs consuetudine quā minimum mutari debet.

Quum verò hæc in omni pestilentia facienda sunt , tum in ea maximè quam Austri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt , ubi gravi tempore anni discesserunt ex suis sedibus , vel ubi in graves regiones venérunt. Ac si cætera res aliqua prohibebit , utique abstinerē debet : atque ita ab vino ad aquam , ab hac ad vinum , eo qui supra positus est modo , transitus ei esse.

